

Q. D. B. V.

DE

REBUS IN
HISPANIA GESTIS,

DISSERTATIO III.

publice habebitur

PRAESIDE

M. SEBASTIANO EDZARDO,

&

RESPONDENTE

JOHANNE KRENCKELIO,

Topseifersdorff. Misnico,

Ad d. 14. Aug. 1695.

VITTEMBERGAE, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

R E R B L I S I N
H I S P A N I A G E S T I T

D I S T I C T I O I I

habeat

I N

M. G I R A S T I A N O E D I T A

J O H A N N I S K

U T T I M E T A M T Y P O G R A P H I C A M



Quod meae superiori Dissertationi finem attulit, idem hujus meae Dissertationis ordine & numero tertiae initium erit. In Consiliis, quae ad summam rerum in Hispania pertinent, explicandis substiti; quae ulterius jam explicare animus est: tum pergere ad tradenda alia, quae memoratu haud indigna videbuntur.

II. Et supremo quidem Inquisitionis Consilio, illud quod CRUCIATA dicitur, non est dissimile. Utrumque Ferdinando V. debet originem, utrumque religionis tuendae propagandaeque praefert speciem, utrumque magna potentia, divitiisque opinione nostra forte majoribus gaudet. Sic & utriusque Consilii Patres mutuas sibi operas praebent, & auctoritatem suam junctis viribus conservant. Hi bellum contra infideles gerendi, imprimisque piratas tum Afros, tum alios coercendi curam agunt. De sumptibus Julius II. Pontifex prospexit. Ferdinando V. successoribusque permisit, ut quae tempore jejunii ex concessa carnibus vescendi licentia, ac receptis *indulgentiarum* ritibus pecunia rediret, fisco regio addiceretur. Hic est opum tantarum fundus. Habet praesidem, & Consiliarios ex Castellae Consilio duos, totidemque, ut vocant, Regentes, quorum unus ex Arragoniae, alter ex Indiarum Consilio legitur. Non solis Hispaniae finibus clausa ejus potestas est, sed ad omnia regna, ad provincias omnes, quae Regis Catholici imperio parent, se extendit. Nihil en. in Belgas, Mediolanenses, Neapolitanos juris habet, quippe qui libertati suae cavent, & hujus Consilii fastigium in deminutionem sui accipiunt. SACRORUM ORDINUM supremus Magister & Administrator perpetuus Rex nuncupatur. Consilarii sex Regi assistunt. Ex quovis ordine (*S. Jacobi* nimirum, *de Calatrava*, & *de Alcantara*,) duo consilio adhibentur. REGIUM ARRAGONIAE CONSILIUM Ferdinandus V. inchoavit, Carolus V. confirmavit, novisque legibus instruxit. Hinc non Arragonia solum, sed & Valentiae Catalauniaeque regna, insulaeque Majorica, Minorica, Sardinia, Yvica jura petunt. His novem Consilarii, (quorum tres ex Arragonia, tres ex Valencia, tres ex Catalaunia oriundi.) Consiliariis a Pro-Cancellarius praeest. Provincias quas Hispani in Italia fecere, sex Consilarii cum Praefide suo moderantur. Ne res Hispana ibi aliquid detrimenti capiat, tres Hispani, ne qua injuria Itali afficiantur, totidem Itali provident. Quaevis enim gens natioq; libentius civibus quam alienigenis paret, minusq; modeste servitutem fert, si minimū aliquos ex suo gremio ortos prin-

pem locum imriere cernat. FLANDBIAE CONSILIUM, quod Philipus IV. instituit, tribus tantum Consiliariis constat. INDIA, quo remotior, eo majorem diligentiam requirit. Ut novus orbis auspiciis Ferdinandi V. detectus & in Hispanorum potestatem redactus fuit, ita & celebre hoc consilium eundem auctorem habet. Porro a Carolo V. amplificatum, Magno Cancellario, Praefide, Pro-Cancellario, & XII. Consiliariis continetur. HAZIENDAE sive AERARII, Praeses & IIX. Consilarii curam agunt. Ii cum tantae moli non amplius sufficere Philippo IV. viderentur, Collegium aliud, quod JUNTA DE MILLONS dicitur, addidit. Quicquid ex oleo, vino, aceto, carnibusque Regi obvenit, accipiunt, rationesque hujus muneris solcite dispungunt. Cumque cunctarum aedium, quae Mantuae Carpetanorum extruuntur, prima contignatio ad Regem pertineat, nisi aedium dominus eam, soluta, quantam Rex petit, pecunia redimat, Consilium DE APOSENTO Regis consulit utilitati. Omnino enim studiose cavendum est, ne reditus regii detrimentum patiantur. Nervus enim rerum gerendarum pecunia est, quae si desit, & pacis ornamenta, & subsidia belli frustra requirentur. Quod ad sylvas aedificiaque Regia attinet, in his conservandis amplificandisque JUNTA DE BOSQUES REALES operam suam collocat. Ceterum ad provincias administrandas PROREGES, PRAESIDESQUE ablegari solent. Eos Rex ex nobilitate quidem, sed tamen etiam ex virtute sumit. Si non minus exemplo, quam imperio praesunt, si prudentia plurimum polent, si justitiam aequitate temperant, si denique Carpii, Neapolitanorum ante annos haud adeo multos Proregis optimi, quam simillimi sunt, omnium laudes admirationemque sibi conciliant, nec cum provincia decedunt, facile quis vel laetatur, vel statim obliviscitur. Si crudeliter, & avare se gerunt, si rem familiarem cum subjectorum lachrymis augent, odium eos in provincia, ignominia apud omnes manet. Quibus Peruvia aut Regnum Mexicanum aut similis provincia obtingit, rem suam egregie stabiliunt, cum ibi annis per paucis immensas ferme opes sine famae & existimationis suae dispendio & sine ullius damno comparare queant. Sed qui in Arrageniam cum imperio mittuntur, sola regiminis recte sancteque gesti gloria contenti sint, oportet. Nihil ad eos inde redit, sumtusque dignitati tuendae necessarii ab ipsis Proregibus ferendi sunt, qui proinde praesentis muneris incommoda, spe melioris olim consequendi levant.

Quem

Quem PRIVADO Hispani vocant, omnes qui Regi a consiliis sunt, dignatione vincit, isque prorsus apud Regem est, cujus benevolentiam expetere, & iram timere reliqui possint. Philippo III. regnante Dux Lermensis summum in aula dignitatis gradum obtinuit, & eo usque vim muneris favorisque Regii intendit, ut propemodum ipsius Philippi auctoritati antea videretur. Imo tam praerupta & urgens ejus dominatio habebatur, ut aliquis complicatam Papyrus Regio cubiculo injiceret, cui inscriptum erat. *Philippo III. nunc in servitio Ducis de Lerma.* Nimiam Lermensis potentiam Philippus IV. depressit, qui tamen postea Olivario, plus quam par erat, obnoxius fuit. Everso Olivario Ludovicus de Haro, & hoc etiam fati concedente, nemo amplius, quamdiu quidem Philippus IV. vixit, supremo illo munere functus est. Etenim plurimum quidem Hispaniae interest, virum aliquem spectata prudentia & probitate rebus praefici. Arbitrium enim quod ad plures pertinet, velut in medio positum audacissimus quisque invadit, & data occasione ad se rapit. Tum vero tarda esse solent, quae Hispani suscipiunt, tardiora, quae a plurimis ingenio studioque saepe dissimilimis in commune consuluntur. Non tamen semper ex usu Regni esse, nimiam potestatem ad unum conferri, experientia docuit, cum ii, qui ad tantum potentiae fastigium pervenere, haud raro privatae magis quam publicae utilitatis rationem habeant, & malis potius, quam bonis consiliis notescant. Quare modo unum regni munia obire, modo plures sociatis laboribus ea exequi Hispaniae Reges voluerunt, prout ipsis imperioque expedire videbatur.

III. Quae de antiquissimis Hispanorum SACRIS magis decorabilibus quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, praestat praeterire silentio, quam ire per singula, & totam eorum seriem curiose & prolixè explicare. Dubium non est, quin plurimum ex singulis gentibus, quae in Hispaniam adventarunt, praesertim Graecis, Carthaginensibus & Romanis traxerint. Ritus illi partim risu, partim commiseratione digni. Eos tum universus propemodum orbis, eos Hispani pro Diis colebant, qui Dii non erant, nisi cum homines Deos esse voluissent. Posteaquam Dei filius se hominibus in carne patefecit ipse homo factus, Orbis discussa caligine de tenebrarum profundo in lucem sapientiae & veritatis emerfit. Partam cunctis hominibus Dei sanguine salutem cunctis annunciari par erat. Id negotii Servator Apostolis

dedit. Qui dicto ei tanquam Domino audientes fuere, mundum universum melioribus sanctioribusque victoriis, quam Alexander M. Romanique terras a se subactas, emensi. Felicitatis, quae nulli non genti nationique contigit, sola Hispania expers esse non potuit. Itaque Hispanos verum veri Dei cultum ex Apostolico ore accepisse certum est: quos vero ex Apostolis Doctores nata sit, non aequae constat. Auctores habeo, Jacobum, cui Johannes frater fuit, prima Christianae religionis fundamenta in his terris posuisse. Is ipse est, qui ab Herode interfectus obiit; pulcherrima morte, quippe quam pro Christo sustinuit. Si fama standum, Hispania Jacobum, quem vivum recipere non poterat, mortuum tamen recepit. Corpus enim a discipulis in Hispaniam asportatum in extremam primo Galaeciam deinde 30. Decembris die (annus ipsis, qui tradidere, ignoratur) Compostellam pervenisse, tum diu oblivione obrutum, tandem a Rege Alphonso, cui cognomen Casti est, caelesti indicio inventum scribitur. Praeterea Caesar augustae Jacobi monitu templum extractum Virginis Matris nomen tulisse tradunt. Sed in his nihil tam certum est, quam quod omnia sint incertissima. Quod Paulus tempore ultimus, meritis primus Apostolus in animo habuerit, Hispaniam Christianae religionis propagandae ergo visere, literae, quas ad Romanos dedit, testantur. Moram destinatis injecere vincula, quae Romae sustinuit: sed prorsus obstitisse, ne quod in votis habuerat, perficeret, credibile non est. Proxime ad verum accedit, libertati restitutum, antequam ad Hebraeos ponderosam illam epistolam exararet, in Hispaniam excurrisse. Firmas vero radices in Hispania religio Christiana egit. Indicio est, quod nulla inde vi eradicari potuerit. Omnis Imperatorum, qui per III. secula Gentilium sacra sequebantur, crudelitas in cassum fuit. Contemptui a gentilibus haberi, gloriae, bonis privari, summo quaestui ducebant Christiani. Si proscriberentur, praesto solatium erat, nomina sua libro vitae inscripta: si tormenta ingererentur, sempiterna ante oculos gaudia versabantur. Vitae denique jacturam pro gloria Dei facere, qui pro miseris hominibus mortem pertulerat, non solum decorum, sed & dulce videbatur. Sic atrocissimi verae religionis hostes, Christianique invicem certabant, utrumne illorum majus ad injurias inferendas ingenium, an horum in perferendis constantia esset. Penes quos victoria fuerit, res ipsa docet. Inter calamitates nata Ecclesia ex ipsis calamitatibus incrementa cepit. Nihil con-

contra Christianos tortorum crudelitas, plurimum apud tortores Christianorum constantia valuit. Qui modo ad supplicia Christianos raperant, mox nuntium errori suo mittentes eadem supplicia laeto inter tristia quaevis animo subiere. Veritatis hostes dedecus, Martyres summa laus gloriaque mansit. Illos adhuc hodie non Hispania solum, sed totus quam late patet Christianus orbis execratur, horum miratur virtutem, & debitis mactat laudibus. Sunt inter eos, quos Hispania maioribus quam ipsi vellent si viverent, honoribus afficit, quippe quos ob religionis zelum religioso cultu prosequitur. Qui si reviviscerent, haud dubie magis de honoribus nimis, quam de acerbissimis quos olim passi sunt doloribus, conquererentur. Verum nec dictu mirum, nec difficile creditu est, inter tot verae pietatis exempla in Hispania extitisse, qui novis opinionibus religionis sinceritatem commacularint. Nullum virtutum ferax seculum est, quod prorsus sterile vitiorum sit, nec facile triticum zizaniis intermixtis caret. Quid mirum haec & in Hispania nata fuisse? Imprimis GNOSTICORUM haeresis permagnas ibi turbas excitavit. Illa ex Aegypto originem habuit. Mox ejus ruina & Hispaniam convolvit. Primus eam in Hispaniam Marcus intulit, longius eam Helpidius & Agape provexerunt, Priscilliani denique opera pleraque Hispaniae pervasit. Hic ortu nobilis, ingenio ad dicendum disputandumque promptus, & non vulgari nec obvia ubivis doctrina clarus erat, adhaec habendi minime cupidus, iis quae habebat, parce modiceque utebatur. Tum vero species humilitatis, quam cum ore tum habitu prae se ferebat, maximam ipsi peperit auctoritatem. Cum paulatim varii generis homines, imo etiam ex Episcoporum ordine nonnullos suae conciliasset sectae, a rectius sentientibus obviam quidem at minus circumspicte itum malo est. Hinc illud latius serpsit, quod cautius contrectatum curationem fortasse recepisset. Posteaquam diu certatum erat, Patres, qui turbis finem allaturi Caesar augustae convenerant, Priscillianum cum sociis damnatum a sincere credentium consortio excluderunt. Raro consilium in melius mutant, qui semel divini coetus tranquillitatem turbare aggressi sunt. Nihil Priscillianus sanctissimi gravissimique consilii decreto motus, non ejus auctoritatem veritus, non judicium sequutus est. Non in viam rediit, non ab incepto destitit, sed confirmata, quam deponere oportebat, audacia, opiniones impias asseruit, & ulterius tanta vi animi & contentione disseminavit, ut ferme ac-

crius

crius ad perniciem, quam vindices veritatis Episcopi ad salutem Ecclesiae vigilare videretur. Interjectis annis compluribus Imperator ulcisci hominem constituit, qui sanari non poterat. Jussus Evodius de Priscilliani causa cognoscere. Gemino iudicio auditus, & maximorum scelerum convictus fuit. In horum numero erant quod maleficiis studuisset, quod pietatis specie nocturnos turpium foeminarum conventus egisset, quod nudus orare solitus fuisset. Tantorum facinorum immanitatem capitali supplicio vindicandam Imperator censuit. Itaque Priscillianus ferro cum sociis peremptus. Non tamen extincta tam adulta pestis, quae ipso auctore Hispaniam pervaserat, aut deleta est. Sectatores ejus, quem viventem adhuc ut sanctum honoraverant, mortuum ut martyrem coluere; Jurare per Priscillianum summa religio habebatur. Ipsi illi, qui a partibus sincere docentium stabant, aegre ferebant damnatum capitis Priscillianum esse. Novum & inauditum hactenus nefas censebant, caedibus coercere haereticos. Non ita Ecclesiae vulnera curari, & turpem hanc esse victoriam, quia cum sanguine conjuncta sit, summi clarissimiq; Ecclesiae Doctores arbitrantur. Neque haec magna & perniciofa sentina ex Hispania exhauriri nisi post multos annos potuit. Felix autem Hispania, si cum solis Gnosticis conflictata fuisset. Maximam quidem calamitatem rebus Hispanicis intulerunt, sed parva videri queat, si cum turbis conferatur, quas postliminio quasi Ethnici, quasque ARIANI excitarunt. Etenim seculis insequentibus totam Hispaniam vel Ethnici vel Ariani rapuere. Infusas Hispaniae gentes Barbaras prima dissertatione jam commemoravi. Inter has Svevi Gentiliū superstitionem, Vandali Gothiq; Arianam sequebantur. Sed Svevi postea Christianorum partibus accesserunt, Vandali in Africam commigrarunt, Gothi deniq; cuncta sub imperium acceperunt. His Valens Imperator Ariani erroris suscipiendi auctor fuerat. Condi- gnas autem religionis violatae poenas dedit, victus praelio & interfectus ab iisdem, quos in errorem induxerat. Mortis genus morte ipsa gra- vius fuit. Intra casam enim rusticanam, quo confugerat, concrematus interiit. Gothi toto illo tempore pestiferas opiniones usq; ad Leuui- gildum Regem tenuere. Hic Filios duos habuit, Ermenigildum & Rec- caredum, ambos maximae spei summaeque virtutis Principes. Ermeni- gildus bona Patris voluntate Ingundem Sigiberti Mediomatricum Regis filiam, uxorem duxit. Ea forma ad modum venusta atq; eleganti fuit. Forma tamen adhuc intra virtutem stetit. Nihil enim sincera religione
nihil

nihil vera pietate prius habuit & antiquius. Bonos oderunt mali, pios improbi, non alia saepe de causa, quam quod virtuti studeant, rectisque exemplis se confirmant. Idem Ingundi usu venit. Leuigildus defuncta priore conjugē Gosuindam Ingundis aviam novis sibi nuptiis junxerat. Geminum adeo necessitudinis jus, quod Ingundi cum Gosuinda intercedebat, amorem etiam duplicare omnino debuisset. Sed sacrorum diversitas odio ansam dedit. Non minus enim pertinax Gosuindae in Ariana superstitione propaganda studium, quam constans Ingundis in Catholica religione tuenda animus emicuit. Et primum quidem blandimentis adolescentulae animum expugnare conata est. Quibus cum nihil actum intelligeret, minas etiam, ut fertur, & vim addidit; capillis praehensam per solum trahi, donec multo sanguine foedaretur, tum nudari, & fune corpori circumposito ac circumligato in piscinam non sine vitae periculo mersari curavit. Verum ut incorrupta adversus blandientem ita adversus minantem & vim summam inferentem firma fuit. Porro injuriam honestissimo vindictae genere ulta est, dum id omni egit industria, ut Ermenigildum ad sacra Christianorum traduceret. Quanta vis veritatis quanta amoris sit, non alias magis apparet, quam cum amico nexu sibi invicem copulantur. Ermenigildus, cum non infirmis fundamentis niti, quae de religionis capitibus carissima ipsi uxor disserebat, intelligeret, magis magisque ab impietate Ariana abhorreere coepit. Res tamen in longum trahebatur, donec tandem uxor & Leander Hispalensis Episcopus, Vir insigni pietate & prudentia, cui se Ermenigildus in capitibus fidei instituendum permiserat, Regi juveni persuaderent, ut sine cunctatione exequeretur consilium, quod tum demum maxime laudari mereretur, cum peractum esset. Hinc bellum natum est varium casibus, & victori non minus quam victo funestum. Mutata religio Leuigildum, (qui filios suos tanto amore prosecutus haecenus fuerat, ut ambos non adjuutores tantum imperii sed collegas dixisset,) repente hostem filio natu majori ex Parente fecit. Si quemvis sapientem, multo magis Patrem omnia prius verbis quam armis experiri decet. Itaque primo literis certatum est, mox armis. Tota Hispania in partibus erat. Catholici cum filio, Ariani cum Patre faciebant. Illorum causa melior, horum major potentia. Ermenigildus plurimum Romanorum auxiliis nitebatur. His uxorem & filiolum in spem tantae fortunae, quantam jam jam amissurus erat, genitum, tradidit, fortius quicquid accideret laturus, si carissimam sui partem extra communis

B

periculi

periculi fortem habuisset. Romanos Leuigildus magno auri pondere corrupit. Praeterea Toleti habitus Arianorum Praesulum conventus. Ibi statutum est, ne, quia Catholicis ad Arianorum partes transirent, ad baptismum denuo suscipiendum compellerentur; Additum etiam, ut filius Deo Patri aequalis (de quo tanta animorum contentione eoque certatum fuerat,) haberetur. Speciosa verbis, re inania & subdola, cum Ariani nihil ex antiquo errore mutarent, sed verborum simulatione incautos Catholicos deciperent. Iis artibus permulti ad destituendum Ermenigildum permoti. Non exiguus tamen eorum numerus fuit, qui in fide durarunt, & perire cum Ermenigildo, quam vincere, cum Leuigildo maluerunt. Sic Leuigildus compositius cuncta, quam festinantius agere. Tres jam annos civilis discordia traxerat, cum Leuigildus maximis undique contractis copiis filium Hispali obsideret. Ibi summis utrinque viribus certatum est. Obsidio admodum difficilis annum duravit. Obsessis non cum hoste tantum, sed & cum fame pugnandum. Ermenigildus ut omnia suis indies arctiora esse videt, desperata defensione clam urbe egreditur, & se ad Romanos, in quibus maxime praesidium adversus vim Parentis sperabat, confert. Ignorabat enim eos a Parente pecunia illectos. Tanti militem esse quanti Imperatorem, haud falso proditum est. Hispalis quae hucusque fortiter adversa quaevis tulerat, solo Ermenigildi discessu debellata fuit. Cives se continuo Leuigildo permisere. Rex juvenis fidem Romanorum promercalem veritus, Cordubam, aut ut Turonensis non inidoneus auctor est, Offetum se recepit. Insequutus Parens, exercitum oppido admovit. Nec obsidio diuturna, sed oppidum ingenti celeritate captum, aedibus ignis subjectus fuit. Jam conclamatam rem esse ipse Ermenigildus videbat. Itaque in templum, quod ea aetate longe celeberrimum per totam Hispaniam erat, confugit, ut loci sanctitate protegeretur, cum armis se amplius tueri non posset. Reccaredus optimi fratris vicem misertus ad templum, pacis conciliandae ergo processit. Monuit ut poenitentiam quam perniciem mallet. Nondum Leuigildum paternum animum prorsus exuisse, adhuc tempus & locum veniae relictum. Modico supplicio iram Patris vel sublatum iri, vel lenitum. Quae dixerat jurejurando firmavit. Cum Ermenigildus promptus ad petendam veniam esset, Pater ad vocatur. Ille juvenem ad genua prostratum osculo excipit, bonum habere animum, & se in castra sequi jubet; prorsus ac si clementia potius quam severitate, quantum in filium liceret, testatum esse vellet. Imo
etiam

etiam ita voluisse crediderim. Veruntamen plus alienae crudelitati apud Leuigildum licuit, quam clementiae propriae. Odium quod Gosuinda in Ermenigildum conceperat, non nisi sanguine fortissimi juvenis, & fortasse ne eo quidem extingui potuit. Hinc novis eum & fictis incessit criminibus, nec destitit, donec maritum perpulisset, ut filium asservari custodia juberet. Ibi animum ille totum in rerum divinarum contemplatione defixit: hinc praesidium, hinc solatium unicum petiit. Ariani quidem non negligendam occasionem rati, denuo a Catholica fide dimovere Principis animum tentarunt. At ille nec promissis flecti, nec minis frangi potuit. Anno D LXXXVI. in sacro Paschatis anniversario Christi a morte excitati memoria laeto, vita privatus est. Leuigildus de media nocte Episcopum Arianum ad filium miserat, qui sacrum epulum vincto de more traderet. Non sibi temperare potuit juvenis, quo minus liberius & acrius quam expediebat, hominem increparet. Parens injuriam, quam ad se pertinere arbitrabatur, statim ulcisci constituit. Missus sine mora carnifex, qui securi percuteret. Mors nimis subita aut repentina illi non videtur, qui ita vitam instituit, ut si singulis momentis moriendum esset. Jamdiu se ad mortem comparaverat Ermenigildus. Hinc non ad nuncium mortis expavit, non demisit animum, aut contraxit. Alii vitam regiosque honores diutius habuerint, nemo facile fortius reliquit. Ita illum quidem Parens, ipse vero mortem & in ea Parentem, quo jubente interficiebatur, vicit. Jam spes omnis stabiliendi in Hispania purioris cultus cum Ermenigildo extincta erat. Sed tum in proximo Divinum auxilium esse solet, cum omnis in humanis viribus posita spes decollavit. Magnitudinem facinoris fera quidem, sed seria aestimatione Rex perspexit. Nec solum occisi filii, verum etiam religionis in filio damnatae poenitentia ductus est. Agnovit enim sub extremum vitae tempus religionis Catholicae veritatem, & ut eadem a Reccaredo filio agnosceretur, magno nec vano studio allaboravit. Hanc ut publice susciperet, ut revocato Leandro in Hispaniam introduceret, ultima & sine dubio etiam optima Regis voluntas fuit. Paruit Parentis monitis Reccaredus, paruit Reccaredi mandatis Hispania. Seditiosorum hominum conatus irriti atque inanes fuerunt. Granista & Bildigernus Comites arma quidem contra Regem corripuerunt, sed acie victi meritas temeritatis poenas dedere. Porro Gosuinda cum Uldida occidendi Regis consilium inivit. Quam placide leniterque Rex processerit, vel hinc

apparet, quod Uldida in exilium tantum actus sit, ipsaque Gosuinda non violenta morte perierit, sed naturae persolverit debitum. Paulo post Argimundus regio cubiculo Praefectus idem in Regem scelus cogitavit. Id vero jam acrius vindicari res ipsa postulabat. Quare praecisa manu, asino per Toleti plateas circumductus, capiteque tandem plexus interiit. Denique Conventu Toleti habito Catholicae religionis cultus publice firmatus est. Initium jejunio ad triduum indicto datum. Sic praeparatis animis Rex fidei suae professionem in literas relatam Patribus tradidit. Praelectam unanimi consensu approbarunt. Addita decreta, quibus Ecclesiasticae disciplinae quae vitio temporum collapsa erat, prospectum. Quae decreverant Patres, Rex de veteri Ecclesiae more confirmavit. Id rerum Hispanarum praestantissimum sed Romano Pontifici nimis addictum scriptorem male habet, fortasse, quod inde constet, nondum eo tempore Pontificem in Hispaniae regno tantam, quantum hodie sibi arrogat, auctoritatem habuisse. At inde maximum in puriorem doctrinam damnum redundavit, quod Hispani postea nimium se Pontifici obsequentes praestiterint, & decreta ejus haud secus quam Divina ac Apostolica receperint. Quanto major ad auctoritatem ipsius facta accessio, tanto plus demptum de sinceritate doctrinae fuit. MAURORUM sacris quomodo Hispania & contaminata & purgata sit, ex iis, quae superioribus dixi, Dissertationibus, apparet. Id tamen non poenitebit monuisse, quod non omnes, qui contra Rodericum in Hispaniam transiere, a Christiana religione alieni fuisse tradantur. Quod ipsum veri perest simile. Bellis in Africa gestis Christiani magno numero in eam orbis terrarum partem pervenere. Hos omnes a vitae religioni nuncium misisse quis credat? JUDAEOS Hadriani tempore Hispaniam intrasse constans fama est. Quod de iis hoc loco commemorasse sufficiat. Non obscurum vero aut silentio praetereundum est, quod Christianae religionis cultus in orbem recens detectum cum Hispanis quasi postliminio renavigarit. Magna haec gloria est, quam Hispani summo jure sibi vindicant, & quam nemo irritato conatu eripere ipsis audeat, nisi vel rerum gestarum turpiter imperitus, vel Hispanicae gloriae malitiose infensus atque invidus reperiatur. Sed quo minus Hispanorum laus in summo versetur, ipsorum (fatendum enim est, quod negari non potest) crudelitas, & perversa Barbaros disciplina Christiana imbuendi ratio obstiterit. Quis vel fidem adhibeat, vel si adhibuerit, non totus horrore perfundatur, cum

vid. Mariana Hist. de Rebus Hispaniae Lib. V. cap. ult.

cum plusquã decies centena millia Indorum, XLV. circiter annis, variis & portentosis carnificinis sublata, cum in una Hispaniola Iccc hominũ millia novorum hospitũ crudelitate interiisse legit? Porro quam arrogans fuit edictũ, quam ab omni ratione alienum, quod publice proposuerunt? *Cacici & Indi, vobis omnibus notum facimus, unum esse Deũ, unum Papam, & unum Regem Castellae, qui harum rerum est Dominus: statim accedite, & auramentum lege clientelae inite.* Quod in asvefaciendis Christiano cultui Indorum animis, votis successus non responderit, ejus culpã haud minus in Hispanos quam Indos conferendam Acoſta Ignatiani ordinis homo jam olim censuit, *lib. 4. de procurand. Indorum salute cap. 3. Accusant (inquit) nostri Indorum tarditatem ad capienda mysteria fidei, frustra in iis edocendis tempus teri, deniq; post annos jam quadraginta ab Evangelii ingressu in tam immensa turba vix quenquam qui symboli duo capita intelligat, quid Christus sit, quid vita aeterna, quid Eucharistia, vel crasse agnoscat; pecudes potius habendos, quam homines. Verum qui ista jaectant, respondeant mihi, qua diligentia isti erudiantur. Recitant illis bis terve in hebdomade symbolum & preces, inq; Hispanico idiomate, jubentur deniq; Hispanica haec discere, quorum ne syllabam quidem intelligunt, & pronunciant ridicule. Vulgaris tamen & tritus doctrinae tradendae iste est modus. Ubi exquisitius res agitur, sacerdos sermone Indico composita quaedam in Catechismi forma recitat, cum tamen ipse linguae Indicae prorsus est infans; quod si peritus sit, quod rarum est, tamen mysteria fidei neq; explanat, neq; vero satis novit. Nec Acoſtae solum, sed omnibus sine dubio mirum videbitur quod postea lib. 5. cap. 2. commemorat, inter tot millia Indorum Christiano nomine donatorum tam esse rarum, qui Christum agnoscat, ut quod Ephesii olim Paulo de S. S. responderunt, possint hi de Christo melius usurpare. Neque an sit Christus audivimus. Omnia tempore vel in melius vel in deterius mutantur, nec quicquam diu eodem permanet loco. Non mirum igitur, aliam hoc seculo rerum in America faciem esse, quam sua aetate fuisse Acoſta conqueritur. Habent Indi, habent non paucos a quibus sermone suo, instituantur. Non raro septem linguarum peritos inter eos reperias, qui animarum in his remotissimis terris curam agunt. Quotannis illuc ex Hispania mittuntur, qui linguas Indicas addiscant. Sunt & in sacris ordinibus Hispano - Indi, qui ex Hispanorum cum Indis conjugio nati eas cum lacte materno imbiberunt. Utinam vero nihil amplius Hispani in se desiderari paterentur, quod ad illud hominum genus Christi discipuli.*


disciplina imbuendum pertineret ! Laedere Indos, injuriis miseros afficere, plagis & verberibus in eos saevire, vitā etiam innocentibus eripere, ludus Hispanis est : & quasi nimis invidiosum peccati vocabulū esset, peccatillū vocant. Qui ex Hispania ad sacra inter Indos munia obeunda transierunt, magna ex parte rem familiarē augere cupiunt, voluptatē & aliquando gloriolā captant, parū de Indorū salute solliciti. Indorū gens ut superstitionibus vehementer dedita est, ita superstitiosos Hispanorū ritū miratur & suspicit, sed fidei salutaris capita negligit. Si de tremendo S. S. Triados mysterio, si de iis quae Christus servandi generis humani ergo fecit, & passus est, si de Christianorum epulo, quo corpus & sanguis Servatoris exhibetur, sermonem cum Indis instituas, si quaeras, num haec, ita ut inter Christianos doceantur, firmo assensu teneant, id plerumque responsi feres. *Ista quidem ita se habere possunt.* Sunt, sunt magno numero, qui lapides & ligna, quae tamen nec audire preces, nec precantibus responsa dare, nec periclitantibus auxilium ferre possunt, magis quam Christum colant : sunt, qui vitam suam a ferae cujusdam vita pendere persuasissimum habeant. Quam proinde instar genii familiaris circumducunt, & formā ejus quandoq; induunt impio & praestigiarum pleno ritu. Jam & sanctis suas appingi feras, S. Hieronymo (ut rem exemplis illustrem) leonem, S. Antonio porcum, S. Dominico canem appingi vident. Igitur eandem superstitionem sequutos esse arbitrantur. Atq; haec causa est, quod sanctos summa veneratione prosequantur. Quanta- cunq; inopia Indus labore, sancti tamen alicujus imaginem coemtam in templo statuit, ibi publice ab omnibus colendam. Sacro Divi anniversario, imago solenniter circumfertur. Tum is, ad quē imago pertinet, sancti memoriā opiparo & festo convivio celebrat, & eū quia sacris est, insigni munere afficit, & ornat. Imago tantisper in honore est, dum utilitatē adferat, pecuniaeque parandae serviat. Cum inde nihil amplius argenti redit, non cultu tantum, sed & loco indigna videtur. Si Indus egeat & nihil largiri possit, exturbandam imaginem praeco clamitat, quam paulo ante summa veneratione prosequendam omnibus commendarat. Utilioribus locum servandum esse. Eo a. qui imaginem dederat, mortuo, onus hoc cum reliquis bonis ad heredes transit. Ubi nullos heredes reliquit, non tamen consilium deest illi, qui sacrorum curam gerit. Rem ad principes familiarum, & Judices defert. Monet eos, ut imaginem ex templo ablatam in Curia asservent, donec forte ab homine pietatis studiosiore ematur. Haec certissima eos argento emungendi ratio, & consuetudo
serva-

tervatur Superstitiosiores Indi imaginis templo ejectae dedecus, in se omnes redundare existimant. Munera praeconi afferunt, ut aliquod temporis spatium concedat, orant. Tum omni studio annituntur, ut aliquem, qui imaginem emat, inveniant. Nimirum haec auri fames, sacra quidem dici summo jure potest, sed an homines illi avarissimi Patrum nomen mereantur, maxime dubium videri queat, cum ipsi thesauros & opes filiis parare nolint, sed has sibi a filiis corredi optent & congeri, nec tam Indos, quam quae Indorum sunt, enixe quaerant. Non vacat enumerare omnia, unde Patrum, ut vocari amant, tum avaritia, tum ambitio, tum denique insatiabilis voluptatum cupiditas satis intelligitur, & liquido apparet. Sed qui plura desiderat, adeat eum auctorem, ex quo haec desumpta sunt. Thomam Gagiū dico, Dominicanī ordinis socium, qui ab A. M. DC XXV. usq; ad M. DC XXXVII. atq; adeo per duodecim annos in America commoratus est, qui in Academia Guatimalensi Philosophiā doctrinamq; diviniorem publico Professoris titulo exposuit, praetereaque munus Praeconis non sine insigni laude administravit. Iter, quod in novum orbem, ut vocant, susceperat, in literas retulit. Scriptum illud tanti fecit Colbertus, qui Regi Galliarum a Consiliis fuit, ut in Gallicum sermonem curarit transferri. Eo magis autem ab omni infractae veritatis suspicione remotus est, quod & ea, in quibus exempla aliorum Patrum secutus, officio minus satisfecisse sibi videbatur, commemorare non dubitaverit. Ceterum, ut non eas tantum, quas in potestate habent, sed & alias terras, quae Regibus suis parent, ad obsequium Pontificis Romani redigerent, operam sibi dandam Hispani existimarunt. Exemplo Aethiopia est, in qua cultum, quem Pontificii sequuntur, stabilire irrito conatu tentarunt. Non enim audiendi sunt, qui Aethiopes Romanae Ecclesiae disciplinam sequi asserunt. Si enim ipsi rem rectius norunt, atq; adeo non falluntur, fallunt tamen, & incautis imponunt. Habeo testem locupletissimum, Ferdinandum Guerreiram, ex ordine Ignatiano, qui annales rerum a Societate Jesu in Orientali India Anno hujus seculi VII. & IIX. gestarum, addita etiam rerum Aethiopicarum commemoratione, composuit. Prodierunt A. M. DC XI. lingua Lusitana Ullyssippone, ex officina Petri Crasbeeckii, & biennio post iterum Mantuae Carpetanorum excusit, cū a Doctore Christoval Svaretz de Figueroa sermone Hispano donati essent. Non ingratum forte nec injucundum lectori erit, si quae maxime ad hanc rem faciant, excerpam. Itaque fol. 28. auctor monet, *maximi momentiopus fore, si Aethiopia ad Ecclesiae Romanae consensum adducatur.*

44
Tm
580

eur, Aethiopes enim primos Gentilium Christum professos esse, & ex eo tempore in hunc usq; diem constanter in religione Christiana permansisse. f. 43. Pueros Abessinos aurei praestantissimiq; ingenii & naturae esse, magisq; integros vitae, quam quis sibi facile persuadere queat. Viros praecipuae dignitatis non satis habere, si filii ipsorum Scripturam divinam ad discant, verum etiam operam dare, ut & filiae easdem cognitae habeant. Porro nullam insigniorem foeminam reperiri, quae non optime calleat, memoriaque teneat Textum Scripturae Sacrae, Pauli Epistolas, & Psalmos Davidis. fol. 59. p. 2. & fol. 60. 61. Non posse non in admirationem impi, simulq; summo dolore affici, qui perspectum habeat, quantum sit hoc imperium, & quot regna (nimirum 26 cum 14. provinciis) ad illud pertineant. Nunc enim magnam ejus partem Idolorum cultorib; aliam Mauri, aliam Judaeis habitari, eam autem quae reliqua sit, & Christianis habitetur, totam rebellem esse, erroneam, & a gremio & obsequio Romanae Ecclesiae remotam. Praefatione Libri Vti ita pergit: Cum jam typis exscriberentur Annales rerum, quas Patres societatis Jesu in India A. 608. & 609. gesserunt, liber mihi allatus est, excusus Valentiae anno praecedenti 610. Auctor est P. Francisco Luis de Urreta, ex Sancto Praedicatorum ordine. Quo quidem, caritate pioque zelo motus probare nititur, Abessinos nec olim unquam, neque etiam hodie in errorem inductos, nec a Romana Ecclesia separatos esse. Porro contra eum insequentibus foliis differit, argumentisque refellit, quod Urreta confirmaverat, Abessinos cum Romana Ecclesia consentire, En autem errores quos Guerreira Abessinibus adscribit! f. 268. p. 2. Non recitant missas pro mortuis. Non celebrant plures una missas in ullo templo. Sacerdotes nullum altare consecrant, nec monstrant populo Sacramentum. Universus qui ad audiendas missas accedit, populus epulum Christianum accipere debet: sin minus, ab audienda missa repellitur. Omnes communicant sub utraq; specie. Stantes peccata confitentur, stans sacerdos unumquemq; a peccatis absolvit, f. 269. p. 1. Non Pontifici sed Patriarchae Alexandrino obediunt. Servant multas ceremonias Judaicas. Sic servant sabbata, jejunia, circumcisionem parvulorum, abstinent a comedendis cibis immundis. f. 271. p. 1. Purgatorium dari non credunt. p. 2. Non particulatim, sed generatim peccata confitentur. Unusquisq; dicit Habesseu habesseu, id est peccavi, peccavi, nec necesse habent ullum peccatum detegere. Non Confirmationis, non extremae unctionis Sacramento utuntur. f. 272 p. 2. Animas a Deo creari negant, statuunt autem eas mediante Parentis utriusq; semine produci. Clerici conjugia in eunt. Habent coenobia Monachi, at inclusi non sunt, & pro arbitrio exeunt. Par ratio Monacharum est.

pem locum
lipus IV. in
tior, eo maje
nandi V. dete
hoc confiliu
tum, Magn
riis contine
filiarii cura
cere Philip
MILLONS
que Regi ob
gunt. Cum
struuntur, p
eam, soluta
SENTO R
est, ne re
rum gerend
fidia belli fr
tinet, in hi
REALES op
PROREGES
quidem, sed
quam imper
quitate tem
adeo multo
rationem qu
laetatur, vel
familiarem
cia, ignomir
canum aut
cum ibi ann
onis suae dis
in Arragenia
gesti gloria
dignitari tue
praesentis m



LIUM, quod Phi
NDIA, quo remo
ois auspiciis Ferdi
is fuit, ita & celebre
arolo V. amplifica
o, & XII. Confilia
aces & IIX. Con
on amplius suffi
quod JUNTA DE
o, aceto, carnibus
ris solcite dispen
Carpetanorum ex
si aedium dominus
onsilium DE APO
studiose cavendum
Nervus enim re
ornamenta, & sub
ificiaque Regia at
A DE BOSQUES
ias administrandas
Rex ex nobilitate
minus exemplo,
at, si iustitiam ae
ante annos haud
nium laudes admi
dunt, facile quis vel
e se gerunt, si rem
um eos in provin
ut Regiam Mexi
egregie stabiliunt,
mae & existimati
queant. Sed qui
nis recte sancteque
redit, sumtusque
li sunt, qui proinde
nsequendi levant.
Quem

